



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CCCXXXV. Markgraf Siegmund bestätigt dem Domcapitel zu Brandenburg eine Urkunde des Markgrafen Otto II. v. Jahre 1197, am 13. Sept. 1381.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CCCXXXV. Markgraf Siegmund bestätigt dem Domcapitel zu Brandenburg eine Urkunde des Markgrafen Otto II. v. Jahre 1197, am 13. Sept. 1381.

Sigismundus, dei gratia marchia Brandenburgensis etc. recognoscimus etc. quod licet ex innata nobis clementia singulorum insistere promotionibus cor nostrum invigilet, precipue tamen harum spiritualium status personarum, quas sacre professionis ambit religio in melius conamur redigere, prefertim cum ibidem cultus vigeat divinus et animarum omnium fidelium frequentetur memoria salutaris, et quia religiosus vir Hintziko ecclesie Brandenburgensis prepositus pro parte ejusdem ecclesie quasdam literas veteris principis, Ottonis, quondam marchionis Brandenburgensis nostri predecessoris felicis, gratias, donationes, concessiones, appropriationes et libertates speciales continentes nostre claritati obtulit, quas per nos autoritate nostra supplicavit humiliter et petivit instanter confirmari, et in nostre confirmationis literis tenorem earundem literarum inferi ad majorem cautelam et perpetuam ipsarum literarum firmitatem, quarum quidem literarum tenor de verbo ad verbum fuit et est talis: In nomine etc. Otto etc. (Es folgt nun die Urkunde vom Jahre 1197.) Nos igitur religioni et honestati diete ecclesie Brandenb. et justis petitionibus prefati prepositi non immerito annuentes dictis literis, gratiis, donationibus, concessionibus appropriationibus, libertatibus ac aliis contentis in eisdem nec non omnibus et singulis in premissis per nos plenius inspectis examinatis et cognitis diligenter de consiliariorum et nobilium nostrorum sano consilio, matura deliberatione prehabita, prefatas literas, gratias, donationes, concessiones et libertates ac omnia et singula in eis contenta in omnibus et singulis suis clausulis et articulis ratas et gratas habemus ac tenore presentium autoritate nostra approbamus et confirmamus, periculo quoque, quod memorate ecclesie Brandenb. circa premissa vel aliquod premissorum aliquo eventu emergere posset, sagatius obviantes totum prefatorum tenorem literarum de verbo ad verbum in presentibus nostre confirmationis litteris ex certa nostra scientia inferi fecimus ad majorem rei evidentiam auctoritatem et fidem in perpetuam firmitatem. Actum et datum in Berlin, anno domini M. CCC^o. octuagesimo primo, vigilia exaltationis sancte crucis. Testes hujus nostre confirmationis sunt: reverendi in Christo patres domini Johannes Czenadiensis, Theodoricus Havelbergensis ecclesiarum episcopi, nec non nobiles Sandywogius, regni Polonie supremus capitaneus, Johannes comes de Lindow, camere nostre magister, Apetzko prepositus, Henning Dobler, Nicolaus Ludekow, cives in Berlin, et plures alii tam spirituales quam seculares fide digni. Sub nostri sigilli appensi testimonio in evidentiam omnium et singulorum premissorum.

Nach dem Originale.

Gleicher Weise bestätigt Siegmund unter gleichem Datum die Urk. v. J. 1346. über das Dorf Plägin, die Urk. ist aber nur in deutscher Sprache im Copiaro vorhanden. Auch erhielt er eine allgemeine Bestätigung aller Rechtsame u. s. w. des Domcapitels in deutscher Sprache nach der frühern Weise Wenzels, Karls IV. und früher Ludwig's „Gezüge dieser unser Bestetunge sind die erwidigen in Gott Vatern und Hern, Johannes zu Czenad, Diterich zu Havelberge, Dieterich zu Brandenburg Bischoffe unde die edlen Sandowogius zu Polen oberster Houpptman, Johannes Grave zu Lindow, unser Cammermeister, Johannes von Wolckow Ritter, Apetzko Provest zu dem Berlin, unde mehr guter Lude genug. Geben zu Berlin“ etc. Noch bestätigt er (in lateinischer Sprache) die Urkunde vom Jahre 1187, worin Otto dem Domcapitel mehrere Schenkungen macht.